

ROMANORUM.



EX Campania Latium ingressi, aternam properamus ad Urbem, quæ tantum olim inter alias Caput extulit,

Quantum lenta solent inter viburna Cupressi.

Primum ejus Numisma, ut & secundum, aliaque Romanorum Græco efficta artificio & GOLZIUS exponit, sed de Sinceritate eorum vehementer dubitat, quod Romani ad Servii Tullii tempora rudi ære fuerint usi, argentum autem quinque ante Bellum Punicum annis demum signatum PLINIUS testetur; Unde non improbabili conjectura visa est, non minus ingeniosè, quàm artificiosè olim ab aliquo antiquitatis peritior excogitata & procusa, ut Originem quam Romani à Græcis ducere vel credebantur vel videri volebant, iisdem exprimeret. Sed non opinor, necessarium, ea vel ex ordine Numismatum movere, vel de eorum ingenuitate dubitare; Quale enim est, quod Anno quinto ante Bellum Punicum demum Romani argentum signavere? An Artificium Græcum tum exspiraverat? Imò vel maximè floruisse ex ipsis Numismatibus ostendi potest. Quid venustius Agathoclis & Pyrrhi Numismatibus suprâ allatis? Ante hoc tempus in Italia bellum gesserunt: Poterunt ergò Romani ante & præter denarios suos etiam Græco pecuniam percussisse malleo, & ita, quod hîc factum videmus, Deorum suorum Cultum Gentisq; consecrâsse Originem. Id eos fecisse, si non hi Nummi persuadeant, nescio quid argumenti valere possit; Non enim argenteos tantum, sed & æreos Antiquissimorum sanè temporum testes habemus, unde Conjectura sedet, à Servii Tullii tempore jam Græcorum illud